





DISSERTATIO INAUGVRALIS.  
DE  
**OBLATIONE DEBITI**  
**VSVRARVM INITIVM**  
**NON VERO EARVM CVRSVM**  
**INCEPTVM IMPEDIENTE**

1728  
1728, 2

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO**  
**CAROLO AVGVSTO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGA-  
RIAE ET GVESTPHALIAE REL.  
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**D. IO. AVGVSTO HELLFELDIO**  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CONSILIARIO INTIMO REGIM. SAXO-VINAR. CVRIAE  
PROVINC. ASSESSORE NEC NON FACVLTAT. IVRID.  
ET SCABIN. ORDINARIO.  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQVENDIS

DIE XXX. MAI MDCCCLXXVIII.  
ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**IO. CHRISTIAN. CONR. SCHROETER**  
VINARIENSIS.

—————  
**I E N A E**  
LITTERIS STRAVSSIANIS.

DISSERTATIO IN AVO...

DE

OBLATIONE DPH...

VSARARUM...

NON VRO...

IN...

RECTOR...

...

CAROLUS...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





§. I.

## PROEMIVM.



**A**n sola debiti oblatio creditori rite facta, si  
iudicialis non accedat depositio, debitorem  
ab obligatione vsuras soluendi liberet?  
quaestio est, iureconsultorum scriptis aequae ac in foro disputa-  
ta. Affirmatiuam prolixè defendit CAROLVS MOLINAEVS, (\*)  
cuius partibus accedunt ANTON. FABER, (\*\*) aliique plures.

A

Nega-



Negatiuam probant GERARDVS NOODT, (\*\*\*) W. AD. LAU-  
TERBACH, (\*\*\*) FR. ES. A PVEENDORF (†) aliique. Hinc la-  
borem non plane frustraneum me facturum putauī, si in prin-  
cipia, quibus innititur recta huius quaestionis decisio, specimi-  
nis inauguralis loco, inquirerem. Quod ut rite fiat, generalia  
de oblatione, quatenus ad modos tollendi vel impediendi obli-  
gationem referri queat, principia sunt praemittenda.

(\*) *de usuris* qu. 39.

(\*\*) *de error. pragmatic. decad. 22. errore 5.*

(\*\*\*) *de foenore et usuris* Lib. III. Cap. 15.

(\*\*\*) *Colleg. pract. Lib. XLVI. Tit. 3. §. 5.*

(†) *Obseruat. iur. vniuersi. P. III. Obseruat. 169.*

### §. II.

#### *Modi obligationem tollendi.*

Debitor ab obligatione valide constituta (\*) non liberatur,  
nisi vel praestet, quod est in obligatione, sicque soluat, vel ei  
creditor per nouationem, acceptilationem, aut pactum, obligatio-  
nem remittat, (\*\*) vel casus mere talis eius implementum red-  
dat impossibile. (\*\*\*)

(\*) Equidem obligatio quoque tolli potest ope exceptionis, aut huius-  
modi exceptio solum locum habet in casu, quo ex acquitatis ratione,  
obligatio stricto iure valida pro inualida declaratur.

(\*\*) t. t. *Inst. quibus modis tollitur obligatio.*

(\*\*\*) L. 185. de R. I.

### §. III.

## §. III.

*Solutio quomodo fiat.*

Praecipuus vero modus, se liberandi ab obligatione, est solutio, (\*) quae fit, si debitor creditori suo quocunque modo satisfacit. Nam satisfactio pro solutione est, et verbo solutionis satisfactionem omnem accipiendam placet, dum soluere dicimus eum, qui fecit, quod facere promisit. (\*\*) Hinc satisfactione creditori quomodocunque praestita, debitor liberatur ab obligatione, et non solum solutio strictè talis, sed quoque compensatio, (\*\*\*) et datio in solutum est solutio. (†)

(\*) pr. Instit. *quibus modis tollitur obligatio.*(\*\*) L. 52. D. *de solutionibus.* L. 176. de V.S.(\*\*\*) L. 4. C. *de compensat.*(†) L. 48. D. *de usurpat. et vsuc.* Nov. 4. C. 3.

## §. IV.

*Depositio rite facta pro solutione habetur.*

Leges quoque pro solutione habent, et ad modos se liberandi ab obligatione referunt depositionem, rite, id est, post oblationem, congruo loco et tempore, factam recusatamque a creditore. Equidem depositio vera non est solutio, aut ius civile, ex aequitatis ratione, illi effectum solutionis attribuit, ita, ut ad plenissimam liberationem creditori proficit. (\*) Sicuti

A 2

enim



enim debitori ius est, se ab obligatione liberandi, (\*\*\*) et aequitatis ratio non patitur, per creditorem stare, vtrum liberare velit debitorem, qui paratus est, quod ei debet, soluere; ita quoque creditor, qui solutionem sibi rite oblatam, sine iusta causa, accipere et debitorem liberare recusat, iniuste agit et debitori iniquam infert conditionem: quod nec aequitas, nec leges, (\*\*\*) permittunt. Ea propter introductum est remedium depositionis, quo debitor se liberare potest ab obligatione. Quamuis enim in regula ipsi creditori, non tertio recte solvatur; in casu tamen, quo ipsius creditoris mora fit, quo minus illi solvi queat, debitori, quod creditori ipsi soluere non possit, imputari nequit, sed solutio per depositionem creditori ipsi facta censetur: quia leges pro facto accipiunt, in quo per creditoris moram fit, quo minus fiat, (\*\*\*) et debitor, qui fecit, quod promissit, pro solvente habetur. (†) Qui autem deponit, praestat, quod est in obligatione, et a creditore pender, praesertim per depositionem solutionem, si libuerit, acceptandi.

(\*) L. 6. et 19. C. de usuris. L. 9. C. de solutionibus. L. 56. §. 1. D. mandati.

(\*\*) L. 70. D. de solutione. L. 137. §. 2. de V. O.

(\*\*\*) L. 74. de R. I. L. 7. D. de usuris.

(\*\*\*\*) L. 39. de R. I.

(†) L. 176. de V. S.





## §. V.

*Tria requiruntur, ut depositio liberet ab obligatione.*

Oblatio et depositio rite facta est modus se liberandi ab obligatione (§. IV.) Hicce modus, quo debitor, per legitime factam oblationem et depositionem, ab obligatione se liberat, depositum iuris, *eine gerichtliche Hinterlegung*, vocatur, et differt a contractu depositi, quo obligatio constituitur, non vero tollitur. Vt vero depositio liberationem ab obligatione efficiat, Iureconfulti tria coniunctim requirunt, oblationem nempe, ob signationem et depositionem, simulque, vt hi actus legitime expediantur, requirunt. (\*) Nec legibus eorum sententia est destituta. Sic enim Imperator ANTONINVS: (\*\*) *si creditrici, quae ex causa pignoris obligatam sibi rem tenuit, pecuniam debitam cum usuris obtulisti, eaque non accipiente, ob signatam eam deposuisti, usuras, ex eo tempore, quo obtulisti, praestare non cogervis.* Porro Imp. PHILIPPVS rescripsit: (\*\*\*) *Acceptam mutuo sortem, cum usuris licitis, creditoribus post contestationem offeras: et si non suscipiant, consignatam in publico deponere, vt cursus legitimarum usurarum inbibeatur. In hoc autem casu publicum intelligi oportet, vel sacratissimas aedes, vel ubi competens iudex, super ea re aditus, deponi eas disposuerit.*

(\*) LAVTERBACH coll. pract. Lib. XLVI. Tit. 3. §. 41. 45. MEVIVS P. II. decis. 201. NOODT de foenore et usuris Lib. III. C. 15.

(\*\*) L. 6. C. de usuris.

(\*\*\*) L. 19. C. cod.



## §. VI.

*An sola oblatio liberationem producat.*

Minime vero sola oblatio, absque depositione, effectum solutionis et liberationis plenariae producit. Nam solutio fit per satisfactionem et praestationem eius, quod est in obligatione, sicque ipsum factum numerationis seu praestationis requirit. Ast oblatio nudis verbis peragitur, et offerens, licet ad praestandum se declaret paratum, tamen actu et ipso facto non praestat, quod est in obligatione, sicque nec soluit, nec liberatur ab obligatione.

## §. VII.

*De oblationis diuisione in realem et verbalem.*

Etsi autem oblatio sola loco solutionis proprie non fit, sicque plenarium liberationis effectum non habeat; (§. VI.) illa tamen suo haud destituitur effectum, praesertim si realiter et rite facta est. Diuidunt enim Iureconsulti oblationem, quae est actus, quo debitor creditori exhibet, id est, sistit et monstrat, quod debetur, eo fine, ut creditor oblatum accipiat, in realem et verbalem. Hic debitor animum, in praesenti soluendi, solum verbis declarat. Ibi vero verbis ipsum factum, representationem nempe, et numerationem, addit. Regulariter oblatio, ut effectum iuris habeat, realiter fieri debet. Verbalis vero in eo casu sufficit, quo creditor rite oblatae solutionis

vel

vel traditionis acceptationem, absque iusta causa, recusat. Verbalis enim oblatio eo fit sine, ut creditor realiter rem accipiat. Simul ac igitur creditor declarat, se paratum esse, accipere, quod verbis offertur, debitor statim realiter offerre, seu solvere et tradere tenetur. Quod si debitor non facit, verbalis oblatio verbis est elisa, et debitori nil prodest. E contrario si creditor, qui iustam recusationis causam non habet, expresse declarat, se rem verbis rite oblatam acceptare nolle, frustraneum foret, rem tradere, repraesentare vel numerare, quam creditor nec traditam, nec repraesentatam aut numeratam accipiat. Inde hoc casu, verbalis oblatio pro realiter facta, in regula habetur. (\*)

(\*) L. 39. de R.I. ANTON FABER *de error. pragm.* decad. 22. errore 6. RICHTER decif. 75. n. 7. CRYSIVS *de iure offerendi* C. XII. §. 4. seq.

§. VIII.

*Effectus oblationis nudae est, ut moram inducat vel impediatur.*

Praecipuus vero effectus oblationis, quae depositionem non habet comitem, in eo consistit, ut profit, siue ad constituendum in mora eum, cui offertur, siue ad impediendam moram ex parte eius, qui offert. Est enim mora iniusta rei peragendae dilatio, (\*) et ab eo committitur, qui, absque iusta causa, intra tempus praefixum non peragit, quod peragere obligatus est. Inde a debitore aequae ac creditore, mora fieri potest.

Et

Et quidem debitor est in mora, si iniuste differt praestationem certo tempore debitam. Creditor vero moram facit, qui, absque iusta causa, sibi oblatam rem mobilem, quae debetur, non acceptat, vel rei immobilis traditionem, verbis oblatam, acceptare detrectat. (\*\*). E contrario debitor, qui iusto tempore rite offert solutionem, si creditor, absque iusta causa illam, acceptare recusat, non est in mora, sed potius ipsum creditorem in mora constituit. Hinc oblatio a debitore creditori rite facta, impedit ex parte debitoris moram, et inducit moram ex parte creditoris. Et cum mora sua cuilibet noceat, (\*\*\*) sequitur, ut solutione creditori a debitore rite oblata, et ab illo sine iusta causa recusata, debitor ab effectibus morae liberetur, et creditori, ratione temporis, quod est in obligatione, satisfactum habeatur. (\*\*\*)

(\*) Hanc definitionem recte se habere putamus, licet cum Pomponio MARCIANVS L. 32. pr. de usuris morae definitionem credat difficilem, et ibidem Imp. Diuus Pius rescripsit: *an mora facta intelligatur, neque constitutione ulla, neque iuris auctorum quaestione decidi posse; cum sit magis facti, quam iuris.*

(\*) BEYMA. tr. de mora §. 2.

(\*\*) c. 25. de R. I. in 6to.

(\*\*\*) L. 39. D. de R. I.

### §. IX.

*Oblatio impedit, quo minus mora et exinde obligatio oriatur.*

Primo igitur sola oblatio rei debitae rite facta efficit, ne debitor sit in mora sicque initium earum obligationum, quae

ex

ex mora nascuntur, impedit. (§. VIII.) Obligatio enim ex mora tunc demum oritur, si tempore constituto non peragitur, quod peragi debuit, sicque semper intelligitur sub conditione, si iusto tempore non fit, quod fieri debuit. (\*) Hinc obligatio ex mora suspensa et incerta est, donec constet, an fiat iusto tempore, quod fieri debuit, an non. (\*\*). Si igitur, absque iusta causa, statuto tempore non praestatur, quod praestari debuit, conditio existit, sub qua mora et obligatio ex illa perficitur. Si vero iusto tempore peragitur, quod peragi debet, conditio, quae moram excludit, est adimpleta. Idem quoque obtinet, si conditio moram excludens, pro adimpleta civiliiter haberi potest. Inde cum iure civili constitutum sit, ut quoties per eum, cuius interest, conditionem adimpleri, factum est, quo minus conditio adimpleri queat, perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset; (\*\*\*) et creditori intersit, solutionem, quae efficit conditionem, per quam mora excluditur, iusto fieri tempore; sequitur, ut solutione rite a debitore oblata et a creditore absque iusta causa recusata, conditio moram excludens pro adimpleta haberi, sicque nulla mora nullaque ex ea obligatio locum habere queat.

(\*) ANTON FAER *de error. pragm. decad. XXII. errore 6.* MOLINAEVS *de usuris* p. 304.

(\*\*) L. 75. de V. O.

(\*\*\*) L. 24. D. *de condit. et demonstr.* L. 161. de R. I.



*Oblatio non acceptata efficit, ut ratione temporis obligationi satisfactum censeatur.*

Non solum vero oblatio rite facta impedit moram et obligationem exinde oriundam; sed quoque efficit, ut obligationi ratione temporis, quo adimpleri debuit, satisfactum habeatur, et debitori exceptio obligationis ex sua parte nondum adimpletae opponi nequeat. Inde si alicui ius agendi sub conditione: *si ex sua parte obligationi satisfecerit* competat, sola oblatio, etiam verbalis, si alter oblatum absque iusta causa recusat, cum habet effectum, ut conditio adimpleta, et obligationi ad effectum agendi sique satisfactum censeatur, actio ante solutionem praestitam iure haud competens institui queat. Quod exempla probant sequentia. Ex contractu bilateraliter agere non potest, qui ex sua parte non adimplevit contractum, sed agenti obstat exceptio non adimpleti contractus. Si vero actor in libello se ad implendum offert paratum, eius obligationi per hanc oblationem, licet verbalem, a reo recusatam, ratione temporis eatenus est satisfactum, ut actori exceptio implementi non secuti opponi nequeat. (\*) Simili modo actio pignoratitia ante debiti solutionem, ad repetendum pignus institui nequit. Si vero debitor ad solutionem denegeret, actio pignoratitia non solum locum habet, sed etiam actor rem oppigne-



pigneratam et quod sua interest, petere potest. Sic enim  
ULPIANVS (\*\*)  
*qui ante solutionem egit pignoratitia, licet non recte egit, tamen si offerat in iudicio pecuniam, debet rem et quod sua interest consequi.* Imper. quoque ANTONINVS rescripsit: (\*\*)  
*Ex praediis pignori obligatis creditor post oblatam sibi iure pecuniam, quam non suscepit, si fructus accipit exonerari fortis debitum, certum est.*

(\*) L. 13. et 25. D. de actione emi.

(\*\*) L. 9. §. 5. D. de actione pignoratitia.

(\*) L. 11. C. de usuris.

#### §. XI.

*Oblatio debitori ius tribuit, se ipsum ab obligatione liberandi, per deprehensionem.*

Deinde quoque oblatio rite facta, quam creditor acceptare absque iusta causa recusat, debitori ius tribuit, contradicente licet creditore, se ipsum ab obligatione plene liberandi. Solut enim, seque liberat ab obligatione, qui praestat, quod est in obligatione. Iam vero, qui obligatus est ad soluendum seu tradendum, ex sua parte praestat, quod est in obligatione, si efficit, ut alter possessionem rei debitaе, si velit, apprehende-



re, sibi que illam habere possit. Nam ad efficiendum, ut actu alter possessionem apprehendar, non est in obligatione debitoris, sed apprehensio ad ius eius, cui debetur, spectat. Quo ut utatur, a debitore cogi nequit. Hic vero, si creditor in rei apprehensione suo vi nolit iure, ex sua parte obligationi satisfecit, et liberatus est. Si igitur is, qui ad soluendum seu tradendum obligatus est, rem debitam illi, cui soluere vel tradere tenetur, verbis licet solum, obtulit, hic vero, oblatam sibi solutionem vel traditionem, absque iusta causa acceptare recusavit, debitor per hanc oblationem suae nondum plene satisfecit obligationi, sicque non est liberatus, quia, dum ipse rem adhuc tenet vel possidet, nondum effecit, ut creditor possessionem, quandocunque libuerit, apprehendere queat. Potest tamen debitor, post oblationem rite factam, et a creditore absque iusta causa recusatam, possessionem rei debitae derelinquere, et derelinquendo efficere, ut creditor, si velit, illam apprehendere ac sibi habere queat, sicque suae satisfacere obligationi, et ab illa se liberare. Quia possessio, quae mihi oblata a nemine detinetur, acquisita mihi habetur, et longa quasi manu tradita existimatur. (\*)

(\*) L. 79. D. de solutionibus.





§. XII.

*Quae tamen derelictio, aliter fit in rebus immobilibus et incorporalibus, aliter in rebus mobilibus.*

Debitor post rite factam et a creditore sine iusta causa recusatam oblationem, possessione rei debitae se abdicare sicque ab obligatione se liberare potest. (§. XI.) Haecce vero derelictio, seu abdicatio possessionis, aliter fieri debet in rebus mobilibus, aliter in rebus immobilibus et incorporalibus. Quod enim ad res immobiles attinet, earum traditio pro facta habetur, si, post oblationem rite factam et recusatam, debitor creditori, se rem derelicturum in casu, quo creditor in recusatione oblatae traditionis perseveraret, denunciaret, ac, creditore in contumacia perseverante, actu rem derelinquit. (\*) Cum enim rerum immobilium ea sit natura, ut de loco in locum transferri nequeant, sicque semper in loco quo sunt maneat, debitor, per oblationem et denunciationem rite factam, aut recusatam a creditore, efficit, ut creditor possessionem rei debitae, si velit, apprehendere sibi que illam habere possit. Hoc autem facto, res pro tradita habetur et obligationi satisfactum est. Denunciatio tamen, post oblationem et ante derelictionem, omitti non debet, quia absque ea creditor, an vacua sit possessio, et an illam apprehendere queat, ignoraret. Idem quoque obtinet ratione iurium, quae rebus immobilibus inhaerent. Horum enim quasi traditio fit, ex parte concedentis per patientiam, et ex



parte adquirentis per exercitium, Hinc, qui ad quasi traditionem horum iurium vel seruitutum tenetur, suae satisfecit obligationi per declarationem, quod alteri exercitium permitrat, et patientiam praestare velit, eamque actu praestet.

(\*) NOV. 91. cap. 2. L. 9. D. *solutio matrimonii*. ZANGER *de except.* Lib. III. cap. 2. n. 169. IVL. BEYMA *tr. de mora thes.* 18. CARPZOV Lib. V. resp. 99. n. 57. CRYSIVS *de iure offerendi*. Cap. XII. n. 8.

§. XIII.

*Quomodo abdicatio possessionis, ad effectum liberationis, ratione mobilium verum fiat.*

Alia vero est ratio, si res mobilis, vel certa pecuniae quantitas debetur. In huiusmodi enim debito per solam oblationem et simplicem derelictionem debitor ab obligatione principali in totum se liberare nequit, sed, ut liberatio sequatur, post oblationem rite factam solennis depositio in loco publico, vel ubi iudex deponi disposuerit, fieri debet. (\*) Debitor enim, invito creditore non liberatur ab obligatione praestandi rem existentem, nisi creditori praestet, quod est in obligatione, vel saltem post oblationem factam et iniuste recusatam efficiat, ut creditor rei debitae possessionem, si modo velit, habere queat. (§. XI.) Ut vero creditor rem, quandocunque velit, habere queat, per oblationem et simplicem derelictionem in rebus mobilibus et pecuniae quantitate debitor efficere nequit.

Res

Res enim mobilis et pecunia derelicta a quolibet auferri, eiusque persequutio per ablationem impossibilis reddi potest. Hinc res mobiles et pecunia post derelictionem in eo non manent statu, quo creditor, sicut in rebus immobilibus fieri potest, eorum possessionem, quandocunque libuerit, apprehendere possit, eamque ob rem debitor per derelictionem suae non satisfecit obligationi, nec ab obligatione liberatur. Potius ad liberandum debitorem necesse est, ut res mobilis in publico loco, quo creditor eam, quando libuerit, accipere potest, deponatur. Per huiusmodi depositionem rite factam debitor ab obligatione liberatur.

(\*) L. 6. et 19. C. de usuris. L. 9. C. de solutionibus. L. 56. §. 1. D. mandati.

§. XIV.

*Post oblationem rite factam res est periculo creditoris.*

Porro oblatio rite facta et a creditore iniuste recusata eum habet effectum, ut obligatio ratione temporis, quo praestari debuit, adimpleta habeatur. (§. X.) Inde, si debitor solutionem vel praestationem debitam iusto tempore rite obtulit, creditor vero eius acceptionem recusauit, obligationi iusto tempore satisfactum censetur. Quia vero debitor post oblationem rem immobilem praecua denunciatione non dereliquit, vel rem mobilem non deposuit, ille ratione rei praestandae adhuc manet



manet obligatus, eamque exigente creditore soluere vel praestare tenetur. Hinc custodiam quidem, usque ad depositionem vel derelictionem rite factam, praestare debet, ast periculum non praestat, et per rei interitum casualem ab obligatione penitus liberatur. Rem sic definit MARCELLVS: (\*\*), qui decem debet, si ea obtulerit creditori, et ille sine iusta causa accipere recusavit, deinde debitor ea sine sua culpa perdidit: doli mali exceptione potest se tueri, quanquam aliquando interpellatus non soluerit. Etenim non est aequum teneri pecunia amissa, qui non teneretur, si creditor accipere voluisset. Quare pro soluto id, in quo creditor accipiendo moram fecit, oportet esse. Sic quoque IUSTINIANVS (\*\*) seruum, cui libertas in testamento derelicta est, sub conditione, si heredi certum numerum solidorum, vel aliam rem praestaret, post oblationem pecuniae heredi factam et ab hoc non susceptam, ab obligatione liberum esse voluit, si latrones vel hostes pecuniam rapuerunt oblatam. Semper tamen, vt liberatio ob rei interitum sequatur, necesse est, vt constet, speciem, quae debetur, casu esse peremptam, quia genus vel quantitas proprie non perit.

(\*) L. 72. D. de solutionibus.

(\*\*) L. 7. C. de conditionibus insertis.

*Quomodo rite et legitime fiat oblatio.*

Non tamen omnis, sed illa solum oblatio, quae rite et legitime facta est, effectus in antecedentibus expositos producit. Fit autem rite et legitime oblatio, si 1) ipsi creditori, cui solui potest (\*) 2) integrum debitum, sicque nou tantum fors, sed etiam vsurae (\*\*) 3) realiter, nisi creditor oblationis acceptionem expresse recuset, (§. VII.) et quidem 4) in debita qualitate, sicque in illa pecuniae specie, quae debetur, (\*\*\*) vt et 5) loco ac tempore conuento, vel, si nihil conuentum, opportuno (\*\*\*) offeratur, et insuper, 6) quod alii addunt, (†) testato oblatio peragatur, quod tamen non necessitatis, aſt conſilii eſt. Vnum ex hiſce requiſitis, ſi deficit, creditor iuſtam recuſandi habet cauſam et oblatio non eſt legitime facta. Si vero, quae diximus, requiſita coniunctim adſunt, oblatio ex parte creditoris moram inducit et ex parte debitoris illam impedit. (§. VIII.) Efficit quoque, vt ratione temporis obligationi ſit ſatiſfactum, (§. X.) periculum in creditorem tranſfert, (§. XIII.) et debitori ius tribuit ſe ipſum per derelictionem ab obligatione liberandi, (§. XI.)

(\*) Quod oblatio ipſi creditori fieri debeat, probat L. 19. C. de uſuris, ubi dicitur: *creditoribus offerens*. Vix tuto offerri poteſt creditoris procuratori. Nam licet procurator mandatum habeat debitum exigendi et recipiendi, non tamen praecudicare poteſt creditori, ſi iniuſte oblatam recuſauerit pecuniam, quia hoc extra fines mandati eſt, qui  
 C  
 exaſte



exacte custodiendi sunt §. 8. l. de mandato. Ast illi solum creditori re-  
ste offertur, qui potest de rebus suis disponere. Hinc pupillo, mino-  
ri, prodigo etc. offerri nequit.

(\*\*) L. 9. C. de solutionibus, ibi totius debita pecuniae L. 2. C. debito-  
rem venditionem pignoris impedire non posse, ibi: oblatio ira demum ef-  
ficax est, si uniuersum iam sortis quam usurarum offerat debitum credi-  
tori, nec vel modicum de forte vel usuris in debito perseueret. L. 41.  
§. 1. D. de usuris. Sufficit tamen partem debiti offerre 1) si con-  
trahentes de particulari solutione conuenerint, 2) si debitum pro par-  
te solum sit liquidum L. 2. D. de rebus creditis, 3) si diuisim in  
pluribus locis solutio ex conuentione debetur. L. 2. §. 4. D. de eo  
quod certo loco.

(\*\*\*) Nam debitor, vt liberetur, offerre debet, quod est in obligatione. Si  
igitur certa species monetae debetur, debitor illam debet offerre. L.  
9. C. de solutionibus. Si de specie nummorum nil conuentum, quan-  
titas intrinseca et extrinseca offerenda est, quae fuit tempore contra-  
ctus.

(\*\*\*) L. 39. D. de solutionibus. L. 9. C. eodem. L. 122. pr. de V. O.

(†) Equidem L. 6. et 19. C. de usuris contestationem requirunt, ast eo  
solum sine, vt oblatio rite facta probari queat. Hinc defectus testium,  
si aliunde probari potest, valori oblationis nil detrahit, CARPZOV resp.  
99. n. 20.

## §. XVI.

### De oblatione, quae comitem habet depositionem.

Alia vero ratio est oblationis, quae eo fine fit, ut ad ef-  
fectum plenae liberationis mox obsignatio et depositio sequa-  
tur. Haec enim praeter ea, quae in antecedente paragrapho  
dicta sunt, requirit, vt oblatio fiat realiter, licet iam antea  
ver-



verbaliter fuerit oblata pecunia, et creditor expresse dixerit, se nolle acceptare. Cum enim oblatio, quae comitem habet depositionem, solutionis loco fit, solutio vero per repraesentationem et exhibitionem pecuniae in folle fieri nequeat, sed numerandi sint nummi, ut constet creditori, eos in debita quantitate et qualitate offerri; satis patet, in hacce oblationis specie requiri adnumerationem pecuniae in debita quantitate et qualitate. (\*) Omitti tamen potest numeratio, si iudex vel pars aduersa eam recuset; at ea omissa debitor eatenus solum liberatur, quatenus resignatione facta apparet, integram summam in quali et quanto esse depositam. (\*\*) Tali modo factam oblationem (\*,\*) sequi debet pecuniae oblatae obfignatio solennis. (\*,\*,\*) Hanc vel ipsa depositi natura requirit. Nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clausam, neque obfignatam deponeret, sed annumeraret, nihil aliud is, apud quem deposita esset, deberet, quam ut tantundem pecuniae solueret, sicque depositum in creditum iret, (†) minime vero creditor, cui per depositionem solui debet, nummos, quandocumque liberit, sibi habere, posset, quod tamen ad effectum liberationis necessario requiritur. (§. XIII.) Rite obfignata pecunia deinde deponitur et haecce depositio fieri debet in loco tuto, (††) qui ex praecepto Imper. Philippi (†††) publicus esse debet. Sub publico vero intelligi oportet vel sacratissimas aedes, vel ubi competens index super ea re aditus deponi nummos disposuerit.

(\*) NEVIUS P. II. decif. 201. ZANGER *ibid.* except. c. 2. n. 50. seqq.  
 CARPZOV Relp. 99. n. 4.

(\*\*) RICHTER decif. 75. n. 27.

(\*) Oblatio in regula praecedere debet depositionem, sic enim L. 2. C. de usur. disponit, verbis: *Usuras emtor, cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obrulerit, quamvis pecuniam obfignatam in depositi causam habuerit, aequitatis ratione praestare cogitur. Si vero creditori offerri nequit, quia absens, vel ei tuto solui nequit, aut non constet, cui debeat, oblatio fit apud iudicem L. 17. §. 3. D. de usuris L. 7. §. 2. de minor.*

(\*) L. 9. C. de solur. ibi obfignatione totius pecuniae debitae solemniter facta, adde L. 6. et 19. C. de usuris.

(†) L. 31. D. locati.

(††) L. 28. §. 1. D. de administr. et peric. tutor.

(†††) L. 19. C. de solutionibus.

### §. XVI.

#### *An iudicialiter oblatio et obfignatio fieri debeat?*

Ut oblatio, obfignatio et depositio in iudicio vel saltem iudicis auctoritate fiat, in regula ius Romanum non requirit, (\*) sed sufficit, rite facta oblatione et obfignatione pecuniam in loco publico deponi. In quibusdam tamen casibus ad depositionem iudicis auctoritas necessario accedere debet. Sic extrajudicialis oblatio, obfignatio et depositio locum non habet, si creditori, quia absens est, vel laet, realiter offerri nequit. Inde Imper. ANTONINVS. rescriptit: (\*\*)

*Absente cre-*



*creditrice, praesidem super hoc interpellare debueras.* Deinde quoque iudicialiter fieri debet depositio, si dubium est, cui debeat. Inde sequestri, qui suum officium ante finitam super re litigiosa litem vult deponere, non permittitur rem aliter deponere, quam arbitrari iudicis. (\*\*). Porro depositio iudicis auctoritate interveniente fieri debet, si creditori tuto solvi nequit, quale accidit, si pupillus vel minor tutorem vel curatorem non habet, cui solvi posset, quo casu in iure apud acta oblationem et depositionem suscipere leges volunt. (\*\*\*) Hoc quoque negari nequit, tutius ideoque melius agi, si oblatio et depositio iudicialiter fiat. Re enim iudicialiter peracta statim constare potest, an creditor solutionem oblatam recusandi iustam habuerit causam, et an omnia rite facta sint, nec ne. Sicuti et iudicialis depositio ad id prodest, ut ab omni periculo penitus se liberet creditor, a quo in totum non simpliciter liberatur, si privato arbitrio eligit locum depositionis, dum in electione loci facile culpa committi potest, quae deponenti nocet. Hinc in Saxonia electorali sapienter constitutum est, (†) ut, praevia oblatione et citatione ad videndum deponi, in praesentia iudicis numeretur, obsignetur et deponatur in iudicio pecunia. Extra Saxoniam vero secundum ius commune, ut creditor ad videndum deponi citeretur, consilii quidem, minime autem necessitatis est. (\*\*). Sicuti et solennia in voluntaria solum, non vero in ea, quae necessaria est, et iussu iudicis fit, depositione requiruntur. (†††)



(\*) ZANGER. de exception. P. III. c. II. n. 85. MEVIVS P. II. Decif. 201. n. 9. CARPZOV resp. 99. n. 28.

(\*\*) L. 6. C. de usuris.

(\*\*\*) L. 5. §. 2. D. depositi.

(\*\*\*) L. 56. §. 1. D. mandati. L. fin. C. de usuris pupillaribus.

(†) Edictum monetar. de anno 1623. in Codice Angusteo P. II. p. 785. 788.

(††) PH. RICHTER Decif. 75. n. 24.

(†††) IDEM. nr. 29.

### §. XVII.

*Generalis resolutio quaestionis, quatenus fortis debitor per solam oblationem liberetur ab usurarum praestatione.*

Quod si nunc principia in antecedentibus exposita applicamus ad quaestionem, quatenus fortis debitor per solam oblationem liberetur ab usurarum praestatione? procul dubio distingendum est, an de iis usuris quaeratur, quae ex conventionione debentur, (\*) an de iis, quae ex mora sunt. Priori casu obligatio ad usuras soluendas per conventionem iam est constituta, quae per solam oblationem, cum haec non sit modus tollendi obligationem, (§. VI.) tolli nequit, sed ad sistendum usurarum cursum oblationi recte factae accedere debet obsequatio et depositio in loco publico. (§. XIII.) Posteriori casu, si debitoris obligatio ad soluendas usuras ob debitoris moram iam existit, cursus usurarum per solam oblationem ex eadem ratione non sistitur. Si autem debitor, antequam in mora esse ince-

inceperit, rite solutionem offert, nec mora, nec cursus vsurarum ex mora incipere potest, quia debitor per oblationem rite factam suae obligationi ratione temporis, quo adimpleri debuit, satisfecit. (§. X.)

(\*) Equidem iure Romano ex nudo pacto vsurae non debentur, nisi per retentionem et exceptionem. PAVLVS Lib. II. *recept. sentent.* tit. 14. §. 1. Si pactum nudum de praestandis vsuris interpositum sit; nullius est momenti: ex nudo enim pacto inter ciues Rom. actio non nascitur. L. 24. D. de praescriptis verbis. L. 3. C. de vsuris. Ciuitatibus tamen ex nudo pacto vsurae debentur. L. 30. D. de vsuris. NOV. 136. c. 4. Apud nos vero conuentio vim stipulationis habet.

### §. XVIII.

*Obligatio soluendi vsuras conuentionales per solam oblationem non tollitur.*

Quia oblatio non est modus tollendi obligationem; (§. VI.) ad tollendam obligationem, si res mobilis, seu pecunia debetur, obsignatio et depositio accedere debet. (§. XIII.) Confirmat haec constitutio PHILIPPI Imperat. (\*) qui, ut cursus legitimarum vsurarum inhibeat, iubet, acceptam mutuo sortem cum vsuris licitis creditoribus post contestationem offerre, et si non suscipiant, consignatam in publico deponere. Et PAPINIANVS (\*\*) sic loquitur: *Debitor vsurarius id est is, qui ad vsuras ex stipulatu tenetur, creditori pecuniam obtulit, et eam, cum accipere nolisset, obsignauit ac deposuit: ex eo die ratio non habebitur usurarum. Quod si postea conuentus, vt solue-*



*solueret, moram fecerit, nummi steriles non erunt.* Posteriora legis verba, quid sibi velint, dubium videtur, quia debitor per depositionem ab obligatione est liberatus, et sola oblatio in iure facta, sicque multo magis depositio, efficit, ut praetor creditori actionem denegat. (\*\*). Quomodo igitur post factam depositionem creditor potest conveniri et moram facere? BRUNNEMANNVS (\*\*\*) et cum eo alii plures putant, hisce verbis subintelligendum esse casum, quo debitor pecuniam ex deposito receperit. Ast proprie de hoc casu verba concepta non videntur, quia per repetitionem pecuniae ex deposito a facta depositione receditur, et idem est, ac si non fuisset depositum, (†) sicque usurarum cursus etiam depositionis tempore duravit, nisi forsitan consensu creditoris, pecunia ex deposito debitori sit credita, tunc tamdiu ac duravit depositio non debentur usurae. Potius verba dicta eum videntur continere casum, quo absque iusta causa facto debitoris creditor solutionem postulans impeditur, quo minus pecuniam ex deposito consequi possit. Quod non solum in depositione, quae in priuato loco facta est, dum exigente creditore pecunia non exhibetur, sed etiam in deposito iudiciali, si deponens absque iusta causa exhibitioni contradicit, locum habere potest.

(\*) L. 19. C. de usuris.

(\*\*) L. 7. D. de usuris.

(\*\*\*) L. 10. D. de solutionibus.

(\*\*) ad Pandectas et dictam L. 7.

(†) arg. L. 10. §. 6. D. de in rem verso. BRUNNEMANN ad L. 19. C. de usuris SICHARDVS ad eandem legem.

§. XIX.

*Absque conuentione usurae non nisi ex mora debentur.*

Si nulla de usuris praestandis conuentio interuenit, illae non nisi ex mora debentur, (\*) sed solum in iudiciis bonae fidei, officio iudicis, (\*\*) quia tantundem in iudiciis bonae fidei iudicis officium valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta est interrogatio. (\*\*\*) Hodie vero indistincte ex mora usurae debentur. (\*\*\*) Equidem non desunt, qui usuras quoque ex lege absque conuentione et mora deberi, ideoque triplicis generis usuras, conuentionales, legales, et punitorias, quae in poenam morae debentur, statuunt. Ast non opus est, obligationem ad usuras praestandas ex triplici fonte deducere. Illae enim usurae, quas legales vocamus, itidem ex mora, quam re ipsa contractam lex praeponit, suam habent originem. Etsi enim mora regulariter ex persona fieri intelligatur, id est non tam ex tardiore debiti solutione, quam ex contumacia personae debitoris, qui interpellatus opportuno loco non soluerit, oriatur, (†) interdum tamen mora fit ex ipsa re, si nempe absque personae contumacia et culpa ratio morae in ipsa re continetur, (††) sicque absque hominis interpellatione ex temporis lapsu mora committitur. Ex aequitatis enim ratione lex in quibusdam casibus diem faciendae praestationis statuit, qui, si certus est, interpellat pro homine, et debitorem, qui non soluit, in mora constituit. Incertus dies pro conditione



tione est, ideoque interpellationem hominis requirit. Iam vero usurae legales semper praeponunt legem, qui diem certum solutionis determinat, in quo si debitor non praestat solutionem, mora adest, ideoque usurae legales itidem ex mora debentur. (††)

(\*) L. 17. §. 4. D. de usuris. L. 5. C. de pactis inter emptorem et venditorem.

(\*\*) L. 53. D. ad Ser. Trebell.

(\*\*\*) L. 7. D. de negotiis gestis.

(\*\*\*\*) Ob Reccessum Imperii de anno 1600. §. 139. STRYVEN *Rechtliche Bedenken*. P. III. arg. 94. ibique allegati.

(†) L. 32. pr. D. de usuris. Inde in L. 17. §. 4. D. de usur. Paulus ait: *ex locaro qui conuenitur, nisi conuenerit, ut tardius pecuniae illatae usuras deberet, non nisi ex mora usuras praestare debet*. Ex quibus colligitur, nec moram stricte talem, nec usurariam obligationem ex tardiore solutione contrahi, sed vel pacto, vel mora, quae hominis interpellatione inducitur, opus esse.

(††) L. 23. §. 1. D. de usuris.

(†††) VOETIIVS ad *Pandectas* Lib. XXII. tit. 1. §. 26.

## §. XX.

*Remotio argumentorum, quae antecedente §. obmouentur.*

Equidem non desunt leges, quae clare loquuntur, usuras legales, etiam mora haud interueniente, deberi. Sic de usuris pupillaribus et pretii, quod ex emto debetur, Imperatores AUGUSTIANVS et MAXIMINIANVS disponunt: (\*) *Currabit praeses prouinciae, compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris restituere: quas et perceptorum fructuum ratio, et minoris aetatis fauor, licet nulla mora intercesserit, generauit.*

Sed

Sed hic sub mora intelligitur illa, quam hominis interpellatio inducit. Ipsa vero dispositio innititur principio, quod emtor et debitor pupilli moram ex re committat; sicque mens legis est, quod debitor pretii tardius soluti, licet nulla ex interpellatione hominis adsit mora, nihilominus ad vsuras teneatur, dum ob perceptorum fructuum rationem et minoris aetatis fauorem mora fit ex re. Hanc vero esse legis mentem, et emtorem aequae ac debitorem pecuniae pupillaris ad vsuras ob moram duntaxat teneri, probat Imper. GORDIANVS. Hic enim de vsuris pretii sic disponit: (\*\*)  
*Initio venditionis si pactus es, ut is, cui vendidisti possessionem, pretii tardius exoluti tibi vsuras pensitaret: non immerito existimas etiam eas tibi, adito praeside, ab emtore praestari debere. Nam si initio contractus non es pactus, deberi ex mora duntaxat vsuras tam ab ipso debitore, quam ab eo, qui in omnem causam emti suam fidem adstrinxit, de iure postulabis.* Minoribus quoque vsurae vnice ex causa morae debentur, quia in eorum persona re ipsa et ex solo tempore tardioris solutionis recepto iure, moram fieri creditum est. (\*\*\*)  
 Omni vero mora deficiente minoribus vsuras non deberi, docet ANTONINI Imp. constitutio. (\*\*\*)  
 Porro non obstant PAPINIANI verba: (†)  
*Socius, si ideo condemnandus erit, quod pecuniam communem inuaserit, vel in suos vsus conuerterit, etiam mora non interueniente, praestabuntur vsurae:* quia hic itidem mora, quae post interpellationem factam, contrahitur, intelligi debet, qua licet non interueniente, obligatio ad vsuras praestandas ob moram ex re adest. Nam semper mora fit ab eo, qui rem alterius iniuste tenet et non restituit. Sic fur, qui res furto surreptas mox non



non restituit, in mora est, (††) Depositarius, qui pecunia penes se deposita usus est, ob moram instar furis ad usuras tenetur. (†††) Idem obtinet in socio, qui pecuniam inuasit communem, vel in suos usus conuertit, sicque moram committit, prout recte rem explicat POMPONIVS. (†††)

(\*) L. 5. C. de actionibus emi.

(\*\*) L. 5. C. de pactis inter emptorem et vendit.

(\* \*) Sunt verba L. 3. C. in quibus causis restitutio in integrum necessaria non est.

(\* \*) L. 9. C. de usuris.

(†) L. 1. §. 1. D. de usuris.

(††) L. 8. §. 1. et L. ult. D. de condic. furtiva.

(†††) L. 3. et 4. C. depositi.

(††††) L. 60. D. pro socio.

#### §. XXI.

*Ex mora non separata obligatio et actio, sed solum accessoria nascitur.*

Ex mora nascitur quidem obligatio ad usuras praestandas. (§. XIX.) Haec tamen non principalis, sed accessoria est illi negotio, in quo peragendo mora est commissa. Hinc non duae sunt obligationes, una sortis, altera usurarum, sed una solum sortis, circa cuius executionem mora iudicis arbitrio usurarum repensatur praestatione. Obligatio igitur ad usuras morae soluendas, tanquam accessoria, simul cum principali stat et corrui. Haec satis probat GORDIANVS Imper. (\*) verbis: *Si cum depositi actione expeviri, tantummodo sortis facta condemnatio est, ultra non potes propter usuras expeviri. Non enim duae sunt actiones, alia sortis, alia usurarum, sed una;*



*vna: ex qua condemnatione facta, iterata actio rei iudicatae exceptione repellitur.*

(\*) L. 4. C. de positi, adde L. 8. D. de eo quod certo loco. L. 13. C. de usuris.

§. XXII.

*Cursus usurarum morae, quae iam deberi inceperunt, non sistitur per solam oblationem.*

Hicæ praemissis transimus ad alterum membrum paragraphi, (XVII.) quod nempe in casu, quo oblatio ad soluendas usuras ob commissam a debitore moram iam existit, cursus usurarum per solam oblationem non sistatur. Veritas huius asserti ex antecedentibus colligi potest. Mora enim non separata et principalem, sed solum accessoriam producit obligationem, quae simul cum principali stat et corrui. (§. XXI.) Iam vero in debito pecuniario et rei mobilis obligatio per solam oblationem non tollitur: (§. VI.) Ergo quoque obligatio ad usuras ex mora iam nata et cum principali vnita per solam oblationem tolli nequit. Clare hoc probat Constitutio ANTONINI Imper. (\*) verbis: *Si per te non stat, quo minus intra tempora praefinita pecuniam minorum solueres usurarum sed per tutores filiorum creditoris, qui eam accipere noluerunt; idque apud iudicem datum probaueris: eius temporis, quo per te non stetisse apparuerit, usurae maiores non exigentur. Quod si etiam sortem deposuisti, exinde ex quo id factum apparuerit, in usuras non conuenieres.* Casus in hoc textu propositus sequens est: Sempronius mutuam accipit pecuniam, et creditori per



ri per stipulationem minores promittit vsuras, (\*\*) ita tamen, vt in casu, quo statuto die non solueret, maiores praestaret. Deinde iusto tempore debitor offert solutionem, quam acceptare nolunt tutores filiorum creditoris, et quaeritur, an solutione iusto tempore haud facta maiores debeantur vsurae? Antoninus respondit: maiores vsuras non deberi, si probari possent, per debitorem non fecisse, quo minus solueretur. Et recte, quia maiores non debebantur vsurae, si debitor iusto tempore soluerit. Haec conditio in debitore per oblationem factam adimpleta habetur, et mora cessante obligatio ad vsuras maiores incipere non poterat. Addit deinde Imperator, obligationem vsurariam etiam quoad minores vsuras, quae iam deberi ceperunt, esse sublatam, si debitor sortem deposuerit. Distinguitur igitur inter vsurarum initium et cursum vsurarum iam inceptum. Illud impeditur per solam oblationem, hic vero non per solam oblationem, sed per sortis depositionem fititur. Inde quoque saepius allegatum rescriptum PHILIPPI Imp. (\*\*\*) iubet: acceptam mutuo sortem cum vsuris licitis, quae iam deberi inceperunt, post factam oblationem ob signatam in loco publico deponere, vt cursus vsurarum impediatur. Porro, si semel mora interuenerit, vsurae vsque ad sortis solutionem debentur. (\*\*\*) Ideoque debitor non nisi per sortis solutionem, vel iustam eius vna cum vsuris depositionem, ab obligatione soluendi vsuras liberatur, et sola oblatio ad liberationem non prodest.

\*) L. 9. C. de Vsuris.

(\*\*) Similis casus est in L. 9. §. 1. D. de vsuris, ibi: nec inuicilis legimae vsurae stipulatio videtur, sub ea conditione concepta, si minores ad diem solutae non fuerint: non enim poena, sed foetus vberius instaratione sortis

foris promittitur. Si tamen post mortem creditoris nemo fuit, cui pecunia solueretur, eius temporis inculpata esse moram constiruit. Ideo se maiores usurae prioribus petantur, exceptio doli non inutiliter opponitur.

(\*\*) L. 19. C. de Usuris.

(\*\*\*) L. 87. §. 1. D. de legatis 2.

§. XXIII.

*Responsio ad obiectiones contra sententiam in §. anter. propositam.*

Sententiae vero in antecedente paragrapho propositae grauius ob stare videtur, quod purgata mora illius effectus, et sic quoque usurae cessent. Hinc usurae quidem debentur ad illud tempus, quo mora durauit, sed purgata per oblationis mora futuri temporis usuras a momento oblationis factae non currere, plures, et inter hos quoque CVIACIVS (\*) et a BEYMA (\*\*), statuunt. Nec lege destituta videtur eorum opinio. Sic enim SCAEVOLA: (\*\*). *Seia heres unius tutoris cum herede pupillae transactione pacto solo facta maiorem partem soluit, residuam cauit: sed illico negauit heres, se transactionem seruare, et apud iudicem tutelae egit, et victus prouocauit ad competentem iudicem, et ab eo quoque ad principem idem prouocauit: et iniusta haec quoque prouocatio eius pronunciata est, quaesitum est, cum per heredem pupillae mora intercesserit, quominus pecunia in stipulationem deducta ab herede tutoris solueretur, nec unquam petierit: an ei hodie debeantur usurae ab herede tutoris? Respondit, si Seia non cessasset ex stipulatione pecuniam offerre, iure usuras non deberi. Ex posterioribus legis verbis: Si Seia non cessasset ex stipulatione pecuniam offerre, iure usuras non deberi, CVIACIVS argumentatur, quod oblatio sola*

sola absque obfignatione et depositione sistat vsuras, quae cur-  
 runt ex mora, non eas, quae ex stipulatione debentur. Sed  
 minus recte. Nullum in hocce textu verbum deprehendimus,  
 ex quo colligi posset, eum de vsuris morae, quae currere iam  
 ceperunt, loqui. Potius ex verbis *si Seia non cessasset ex stipu-*  
*lacione pecuniam offerre*, clare patet, in hocce textu eum  
 praeponi casum, quo ante oblationem nulla facta fuerit pecu-  
 niae ex stipulatu soluendae cessatio, id est, nulla mora  
 extirrit. Sic quoque ex textus verbis: *an bodie* debeantur vsurae  
 ab herede tutoris, colligere licet, in nostra lege dubitandi rationem  
 circa vsuras in eo fuisse, quod pecunia, de qua agebatur, ex tute-  
 la gesta deberetur, nouiori vero iure pupillis ipso iure ob mo-  
 ram ex re, sicque statim a momento, quo debitum contra-  
 ctum est, praestari deberent, et ab vsuris, quae iam deberi  
 ceperant, sola oblatio non liberet debitorem. At ratio deci-  
 dendi est, quod propter transactionem et stipulationem, quae  
 interuenerat, non amplius ex tutela debeatur, ideoque vsu-  
 rae pupillares cessent. Et quamuis ex stipulatione pecunia de-  
 beatur certusque solutioni dies fuisset statutus, adiecta vsura-  
 rum poena, si in solutione Seia cessaret; (\*\*\*) vsuras tamen  
 iure non deberi, si Seia non cessasset ex stipulatione pecuniam  
 offerre. Inde verba huius legis nobis non obstant, potius no-  
 stram firman sententiam. Nam si pecunia, quam Seia debe-  
 bat, pupillaris fuisset, sicque mora ex re et obligatio ad vsu-  
 ras statim contracta fuisset, sola oblatio Seiam non liberasset  
 ab vsurarum cursu. Quia vero ex stipulatu in casu, quo cessaret  
 Seia in solutione, vsurae debebantur, Seia vero non cessauerat,  
 pecuniam ante interpellationem et diei existentiam offerre, sic  
 que

que mora non erat commissa, sola oblatio ad liberationem ab  
usu is Seiae prodesse poterat.

(\*) *De verbor. Obligationibus et quidem ad L. 122. §. 5.*

(\*\*) *Tractatu de mora. §. 18.*

(\*\*\*) *L. 122. §. 5. D. de verb. obligat.*

(\*\*\*) Recte statuit GERARDVS NOODT *de foenore et usuris. Lib. III. cap. XV. in lege nostra proponi casum, quo usurae, si Seia cessasset, in stipulationem erant deductae. Verba enim legis probant, Seiam ex stipulatu, sique ex contractu stricti iuris, fuisse debtricem. usurae vero ex mora solum in bonae fidei, non stricti iuris iudiciis, nisi in stipulationem deductae, exigi poterant. L. 32. §. 2. D. de usuris. L. 7. D. de negotiis gestis.*

#### §. XXIV.

*Continuatio et explicatio L. 28. §. 1. D. de administratione  
et periculo tutorum.*

Ad meliorem probationem eius, quod in antecedente §. dictum est, faciunt quoque verba MARCELLI, quae sic se habent: (\*) *Tutor, qui post pubertatem pupilli, negotiorum eius administratione abstinuit, usuras praestare non debet, ex quo obtulit pecuniam: quin etiam iustius mihi videtur, eum, per quem non sedit, quo minus conuentus restitueret tutelam, ad praestationem usurarum non compelli. Ulpianus notat, non sufficit obtulisse, nisi et deposuit obsignatam tuto in loco. In hocce textu non conueniunt inter se Marcellus et Ulpianus. Marcellus negat, tutorem, si post finitam tutelam eius administratione abstinuit, ad usuras teneri, ex quo pecuniam obtulit. Et recte ex usu sui temporis hoc negare potuit. Vixit enim sub Antonino Pio Imperatore usque ad Commodi tempora. (\*\*)* His vero temporibus nondum minoribus ipso iure ob moram

E

ex



ex re contractam vsurae debebantur, quippe quod Seueri de-  
 mum temporibus constitutum est. (\*\*\*) Deinde Vlpianus, qui  
 sub Septimio Seuero et potissimum sub Alexandro Seuero flo-  
 ruir, notas ad Marcellum scripsit, (\*\*\*) et ob mutatam rem  
 per constitutionem Seueri, (†) qui constituit, in re moram em-  
 se circa pecuniaria fideicommissa, quae minoribus relicta sunt,  
 Marcello adjecit notam Vlpiani temporibus conuenientem, so-  
 lam nempe oblationem non sufficere in pecunia, quae ex tutela  
 debetur, sed requiri depositionem in tuto loco. Quia in pecu-  
 nia minoribus debita ob moram in re vsurae ipso iure debentur,  
 et cursus vsurarum iam inceptus per solam oblationem fisci  
 nequit. (§. XXII.)

(\*) L. 28. §. I. D. de administratione et periculo tutorum.

(\*\*) IULIUS CAPITOL. in Pio. c. 12. L. 19. de restam. tutela. DIO  
 Lib. LXXII. Iulianum Marcellum quacunque poterat ratione reprehendit,  
 inde credo, postea Vlpianum, Marcello indignatum, notas scripsisse  
 ad Marcellum, ut Iulianum vicisceretur, sicque quod passus est Iu-  
 lianus a Marcello, id passus est Marcellus ab Vlpiano. MERTILLVS  
 Obseru. Lib. I. cap. XXVIII.

(\*) Quod probat VLPIANVS L. 26. §. I. de fideicommissariis liberta-  
 ribus.

(\*\*) vid. III. Praefatus historiam iuris Rom. Lib. I. cap. VIII. §. 53.

(†) citata L. 26. §. I. D. de fideicom. libert. adde GERARD. NOODT  
 de foenore et Vsuris L. III. cap. X.

### §. XXV.

#### Uterior continuatio.

Aliud adhuc argumentum MOLINAEVS pro tuenda sua  
 opinione, quod nempe sola oblatio debiti cursum vsurarum  
 iam inceptum sistat, exinde desumit, quod ex sola oblatione  
 offeren-

offerenti actio acquiratur ad fructus ex re restituenda oblato pretio perceptos, usurae vero fructuum vicem obrineant, (\*\*) sicque de usuris eadem, quae de fructibus valeant: et cum exceptio denegari nequeat illi, cui actionem damus; (\*\*\*) concluditur, ex sola oblatione competere exceptionem, ne usurae petantur. Ast haecce argumentandi ratio falsis innititur propositionibus. Primo enim oblatio per se actionem non producit, sed efficit solum, ne actioni competenti obiici queat exceptio obligationis ex parte debitoris nondum adimpletae. Deinde nota illa regula iuris: *cui damus actionem, eidem multo magis competere exceptionem, dixeris*, ad praesentem casum, applicari nequit. Eius enim sensus est, qui per actionem aliquid petere potest, is per exceptionem potest retinere, quod per actionem consequi valet. (\*\*\*) Iam vero facta oblatione debitor per actionem non potest petere usuras, ergo quoque illas non potest retinere. Porro usurae quidem pro specie fructuum habentur, ast non semper pari cum fructibus iure fruntur. Sic fructus etiam in stricti iuris iudiciis peti possunt, (†) non vero usurae. Malaefidei possessor ad fructuum perceptorum et percipiendorum restitutionem, minime vero ad usurarum percipiendarum praestationem tenetur. (††)

(\*) L. 2. C. de pactis inter emptorem et venditor.

(\*\*) L. 34. D. de usuris.

(\*\*\*) L. 156. §. 1. de R. I.

(\*\*\*) LUDWELL ET BRONSHORST ad dictam L. 156. de R. I.

(†) L. 38. §. 4. et 7. D. de usuris. L. 173. de R. I.

(††) L. 20. §. 14. D. de heredit. petis.



## §. XXVI.

*An quoque obsignatio et depositio necessaria sit, si aerarium publicum debet.*

Quamvis vero sola oblatio, absque obsignatione et depositione, vsurarum cursum non sistat, sola tamen oblatio realis sufficere videtur, si aerarium publicum vsurariam debet pecuniam. Hoc enim in casu pecunia in loco publico iam existit, sicque non opus est, ut in publico loco deponatur. Fiscus quoque et aerarium publicum semper locuples et ad solvendum paratus praesumitur. Nihilominus tamen putare, fisco et publico aerario solam oblationem non prodesse ad cursum vsurarum sistendum. Primo enim, ut depositio ab vsurarum onere liberet, requiritur obsignatio, qua non facta, pecunia in proprietate et dominio debitoris manet, sicque depositio pro solutione haberi et liberationem efficere nequit. Deinde ad liberationem non sufficit, pecuniam existere in loco publico, sed requiritur, ut obsignata in sacratissimis aedibus, vel ubi competens iudex deponi iusserit, deponatur. (\*)

(\*) A RYFENDORF T. III. *Observar.* 169. §. 7.

## §. XXVII.

*Oblatio impedit initium vsurarum.*

Ad tertiam propositionem (§. XVII.) progredimur, quae haec est: Sola oblatio, rite facta, impedit initium cursus vsurarum. Illa in vsuris conventionalibus regulariter nullum praestat usum, quia vsurae, quae ex stipulatu debentur, statim ex momento, quo creditum existit, currere inceperunt, ideoque earum



earum cursus iam inceptus per solam oblationem sisti nequit. In eo solum casu, quo stipulatio ita concepta est, ut usurae, debito intra certum tempus non soluto, praestentur, eius applicatio fieri potest. Quia, hoc posito casu, usurae quidem ex stipulatu, aut in eum solum casum, quo intra certum diem solutio non est facta, sicque ob moram, quae tamen absque interpellatione ex re adest, debentur. Hinc per oblationem, iusto tempore rite factam, mora et usurarum cursus impeditur. Probant haec verba PAPINIANI: (\*) *Usurarum stipulatio, quamvis debitor non conveniatur, committitur. Nec inutilis legitimaе usurae stipulatio videtur sub ea conditione concepta: si minores ad diem solutae non fuerint.* — — *Si tamen post mortem creditoris nemo fuit, cui pecunia solueretur, eius temporis inculpatae esse moram constitit. Ideo si maiores usurae prioribus petantur, exceptio doli non inutiliter opponitur.* Quod vero usuras, quae ex conventionione haud debentur, attinet, ad has soluendas obligatio vnice ex mora est. (§. XIX. et XX.) Vbi igitur nulla est mora, ibi quoque nulla ad usuras soluendas locum habet obligatio. Iam vero oblatio, rite facta, impedit moram, et obligationem exinde oriundam. (§. IX.) Ergo quoque per oblationem, debito tempore rite factam, impeditur initium cursus usurarum. Quod non solum quoad usuras morae propriae, sed etiam quoad eas, quas Iureconsulti legales vocare solent, obtinet. Nam in his quoque fundamentum obligationis usurariae in mora, quae re inducitur, later. (§. XIX. et XX.) Et licet obligatio ad praestandas usuras legales, nisi aliter sit conventum, ex eo statim tempore adsit, quo deberi in-

cepit, debitor tamen per oblationem rite factam efficere potest, ut obligationi iusto tempore satisfactum censeatur, (S. X.) sicque usurarum cursus non incipiat. Sic minori ex lege debentur usurae, etiamsi in stipulationem non sint deductae, nec interpellatio facta sit. Si vero debitor nullo modo in mora soluendi fuerit, sed solutionem obtulerit, non debentur usurae, nec minori restitutio in integrum competit, quia usurae non propter lucrum petentium, sed propter moram soluentium insiguntur. (\*\*). Idem confirmat constitutio DIOCLETIANI et MAXIMINIANI (\*\*\*) verbis: *Pupillus agere vobiscum actione tutelae compelli non potest. Verum aduersus futuram calumniam, ut et, si quid ei debetis, cursus inbibetur usurarum, denunciationibus frequenter interpositis, ad iudicium eum prouocare: ac, si rem dissimulatione proferat, actis apud praesidem prouinciae factis, voluntatis vestrae rationem declarare: quo facto, tam vobis ipsis, quam securitati filiorum vestrorum consuletis. Quod et in curatoribus locum habet.* Sic quoque emtor, qui statim post traditionem factam, venditori pretium rite obtulit, cuius acceptionem venditor recusauit, aut dolo, vel culpa fecit, quo minus ei solui queat, nec moram contraxit, nec ad usuras tenetur. (\*\*\*) Cum autem sola oblatio initium usurarum, quas legales vocant, impedit, illa multo magis eundem effectum quoad usuras morae proprie tales producit. Hae enim vnice ob moram debentur. Si igitur per oblationem rite factam, mora impeditur, nulla quoque ad usuras ob moram soluendas existere potest obligatio, ideoque ad tollendam obligationem nec solutione, nec depositione, quae solutionis locum tenet, opus est. Quod et leges

feges probant in §. XXII. et XXIII. insertae, ibique expositae.

(\*) L. 9. §. 1. D. de Usuris.

(\*\*) L. 17. §. 3. eodem.

(\*) L. fin. C. de usuris pupillaribus. Nec obsat L. 7. §. 2. D. de minoribus, ubi dicitur; debitor minori, qui eum convenit et curatorem non habet, solvere non compellitur. Sed hodie solet pecunia in aedem deponi, ne vel debitor ultra usuras oneretur, vel creditor minor pecuniam perdat. Haec enim lex de eo casu loquitur, quo usurae iam currere inceperunt, quippe quod declarant verba; ne debitor ultra usuris oneretur, ut et illa: si minor conveniat debitorem.

(\*) L. 5. C. de pactis inter emptorem et vendit.

### §. XXVIII.

*Sententiam nostram confirmat auctoritas probatissimorum*

*Iureconsultorum.*

Sententiam, quam in antecedentibus probauimus, confirmat auctoritas probatissimorum Iureconsultorum. Sic enim MEVIUS: (\*) Circa quaestionem, utrum oblatio ab usuris liberet? discerni debet inter finiendum cursum usurarum et impediendum, ne illae currere incipiant. Quod illum attinet, etsi nonnulli sic sentiant, solam oblationem sine obsignatione et depositione usurarum cursum sistere, caret tamen iuris auctoritate. Contraria sententia magis legalis, verior atque communior, adeoque et in praxi forensi receptior est. Ass, vt non incipiat cursus usurarum, sola oblatione effici potest, quia ista a mora excusat, et creditorem accipere recusantem in mora constituit, ideo etiam a morae poena, qualis est usura, liberat. Hanc distinctionem quoque secutus est Senatus Pede-

Pedemontanus apud FABRYM, (\*\*), et eandem probat GERARDVS NOODT. (\*\*\*)

(\*) P. II. Decif. 199. et 202.

(\*\*) in Codice Fabr. Lib. VIII. tit. XXX. def. 40.

(\*\*\*) De foenore et usuris. Lib. III. cap. XV.

§. XXIX.

*Quatenus arresti impositio cursum usurarum impediatur.*

Vnicam adhuc addo quaestionem inter Doctores admodum controuersam, quatenus nempe iudicis iussus, ne creditori debitor soluat, seu impositio arresti debitorem ab usuris liberet? LEYSERVS distinguit inter usuras, quae ex mora et eas, quae ex promissione vel ex legis dispositione debentur. Illarum cursum per iudicis praeceptum de non soluendo utique sisti, ab his vero debitorem non liberari per arresti impositionem seu iudicis iussum de non soluendo, statuit. Excipit tamen casum, quo debitor probare, vel saltem iurare potest, se post arrestum impositum pecunia usum non esse, verum illam tanquam in deposito habuisse. Huic tamen sententiae omnino subscribere nequeo. Iudicis enim praeceptum, ne creditori solvatur, non tollit debitoris obligationem iam constitutam, quod ipse LEYSERVS affirmat. Inde quoque obligatio ad usuras soluendas iam constituta non tollitur per arrestum a iudice impositum. Si igitur mora commissa obligatio ad morae usuras soluendas iam adest, illae tanquam accessoria cum principali stat et corrui. (§. XXII.) Stante autem obligatione ad usuras earum quoque cursus perdurat, et per praeceptum iudicis de non soluendo haud sistitur.

tur. Hinc iussus iudicis de non soluendo moram quidem et initium vsurarum impedire, minime vero earum cursum iam inceptum sistere potest. Porro arresti impositio, dum non sit modus liberandi ab obligatione, obligationem soluendi vsuras, quae ex conuentione vel lege debentur, non tollit. Quod autem, vt LEYSERVS sentit, debitor, qui probat, vel iurat, se post arrestum impositum pecunia vsus non esse, ab vsurarum praestatione se liberare queat, recte se habere non videtur. Leges enim, vt cursus vsurarum iam inceptus sistatur, requirunt ob signatae pecuniae depositionem, (§. XXII.) et quod ad vsuras conuentionales et legales, quae ob moram ex re debentur, attinet, ad cursum earum sistendum non sufficit, quod debitor non sit in mora soluendi, sed insuper principaliter requiritur, vt creditor sit in mora accipiendi, (\*\*\*) quam arrestum ex parte creditoris non inducit.

(\*) *Spec. 243. mediet. 10. 11. adde FINCKELTHAVS obs. 19.*

(\*\*) *L. 9. et 19. C. de vsuris.*





PRAENOBILISSIMO

C A N D I D A T O.

S. D.

PRAESES.

**V**t de *TV*A doctrina publice constet, et praeclaram *TV*AM in addiscenda legum scientiam industriam digna sequantur praemia, disputandi materiam elegisti, quae non sterilis, sed frequentis in foro usus est. In illa pertractanda talem *TE* exhibuisti, ut nullus dubitare queat, *TE* iure meritoque ad honores, quos petis, admitti posse. Hinc tibi de hocce legitimae scientiae specimine gratulor et, ut fata tibi obtingant felicissima honoreque parvo diutissime fruaris, ex animo precor. Vale. Ienae d. xxix. Maii cIo cccLxxviii.

VIRO

AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO.

IVRIVM DOCTORANDO

DIGNISSIMO

AMICO AESTYMATISSIMO

S. P. D.

B. G. H. HELLFELD. OPPON.

**Q**uo iucundiores *TV*AE, in me, Vir amplissime, nullo non tempore mihi fuerunt amicitiae significationes; eo maius nunc adparet incrementum, quod familiaritas illa, quae inter nos dudum intercessit, ex beneuola, qua me ad eruditum certamen prouocare tibi placuit, inuitatione capit. Orationis inopia haud permittit, satis, atque uti optarem, luculenter declarare, quam magna voluptate perfusus, confictum hunc literarium, adgrediar. Permultae, nimirum, subsunt causae et rationes, quae

quae efficiunt, vt candidissimo calculo hic dies mihi notandus sit. Quin et laelabundus, haec tum **TIBI**, tum mihi exoptatam lucem excipio; li- quidem iamiam participem me factum video, quod iam dudum animo conceperam. Ex eo enim quo singulari fortunae nutu, amicitiae vinculo tecum coniungi mihi contigerat, nequiquam magis, quam opportunam exoptabam occasionem, qua debitas pro **TVO** fauore atque beneuolentia, gratias persolvere, et publice declarare possem, quanti **TE**, quanti eruditionem qua conspicuus es, quanti animi **TVI** integritatem et sinceritatem, quin, quanti amicitiam **TVAM** haud fucaram, faciam, atque existimem. Age igitur, et serena accipias fronte, gratias ex sincerissimo animi affectu emanantes pro **TVO** fauore, amicitia, atque beneuolentia, qua me hucusque dignatus es: Nunquam illius memoria ex animo delebitur meo, sed omni, inflammatoque studio eo enitar, quo iucundissima **TVA** amicitia, magismagisque me digniorem reddere possem. Neque minus maximas **TIBI**, Vir Consultissime, habeo, atque ago gratias, quod opponentis partes mihi imponere, et, laudis, et summi plausus, qui, certissime **TE** manent, testem reddere volueris. Respondebo iussui **TVO**, faciam periculum, num fieri possit, vt veritatibus, a **TE** firmiter stabilitis, aliqua saltem ratione contradici queat. Contradicam tamen, non vt aduersarii, sed vt amici persona indutus, imo vere eius, qui ex doctissimis **TVIS** sermonibus, non nisi doctior cupit euadere. Nihil addo, nisi votum pro perenni **TVA** felicitate, digna persona **TVA**, digna diligentia, digna eruditione, digna animo integerrimo, candidissimum. Ita vale et mihi fauc! Dab. Ienae d. v. Cal. Iunii c. d. c. c. lxxviii.

**H**aud spernenda tuis Themis alma parauit amicis  
Præmia, statque suus firmus honos studii,  
Quam assidue, **SCHROETERE**, dies noctesque secutus,  
Inuictis palmam nunc retines manibus.  
Ipsa regas fidem, clemens **ASTRAEA**, ministrum,  
Et recta ducas ad tua templa via:  
Quotidie vt fama crescat, longosque per annos,  
Et, Patrona, tibi seruiat, et Patriae.

Hisce pauculis, Domino Doctorando præ-  
nobilissimo, Sodali quondam in studiis  
suauissimo, summos in iure honores,  
ex animo gratulatur

**TOANN. NIC. BISCHOFF, OPPON.**

F 2

**VIRO**



VIRO  
PRAENOBILISSIMO ac DOCTISSIMO  
DOMINO  
**SCHROETERO**  
AMICO SVO SINGERRIMO

S. P. D.

IOANNES ELIAS WERNER  
REVER. MINIST. GRYPHISWALD. CAND. ET STRALSVNDIAE  
MORVM MAGISTER.

**A**ldidius sacri Scrutator Codicis olim,  
Chemicus et Physicus, profugus inde triplex,  
Nunc Iuris perstrutans illa volumina, multos  
Codicis et Titulos, Nunc petis inde IVAS  
Causas, defendis, proferis, restinguis et omnes;  
Inde tibi DOCTOR, fructus, honos, decora  
Nomen erunt. Ita vt eueniat volo pectore toto!  
Fortunet Numen Cauffidici studia!

VIRO CLARISSIMO  
NEC NON DOCTISSIMO  
SVPREMIS IN IVRE HONORIBVS  
**CANDIDATO DIGNISSIMO**

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.  
IO. CHRISTOPH. HESSE  
SAXO ELECTORAL.

THEOL. C. SOC. LAT. IENENS. SODALIS.

**N**ihil sane acceptius atque iucundius, AMICORVM OPTIME, mihi accide-  
re potuisset, quam quod, quanti TE IVASQUE virtutes aestimem, pu-  
blice declarandi, exoptatissima sese mihi praebet occasio. Neminem enim  
huius vniuersitatis litterariae ciuium, credo, facile fugiet, TE maximo  
cum studio in diuiores litteras primum incubuisse, deinde vero, cum ma-  
gis e TE videretur esse, animum ad Iurisprudentiae studium applica-  
uisse,



uisse, in quo quidem tantos progressus fecisti, vt supremos iuris honores  
 TIBI conferre Illustris Iureconsultorum Ordo non dubitaret. Iam cum  
 vtriusque TVI studii per sex fere annos attentissimus fui testis, (ple-  
 rumque enim doctorum vna interfuimus scholis) TVque pro ea, quae in-  
 ter nos iam diu fuit, amicitia me multo amplexus es amore et multis officiis  
 accumulauisti; eiusdem quoque rationes postulant, vt Dei auspiciis mox ca-  
 pessendos honores ex animo TIBI gratuler. Accipe igitur honores TVIS  
 scientiis et virtutibus dignos. Faxit supremum Numen, vt cuncta, quae  
 suscipies, TIBI prospere succedant et per magnam annorum seriem TE  
 saluum praestet atque incolumem, in huius mularum sedis et reipublicae  
 emolumentum, vt possis summum humanae dignitatis fastigium ascendere.  
 Quod reliquum est, nihil magis abs TE peto, quam vt et in posterum,  
 etiam si fors inexorabilis aliquando nos separet, amore et amicitia TVA  
 me non indignum iudicare pergas. Me quidem ad omne amicitiae et offi-  
 cii genus TIBI habebis paratissimum. Vale.

Dabam Ienae,

a. d. XXV. Maii a. r. f.

MDCCLXXVII.

*AMICE OPTIME ATQVE ORNATISSIME.*

**N**on fatis est vixisse diu, Musisque sacratiss  
 Inuigilasse simul perpetuo studio,  
 Ingenuus animum excoluisse per artes,  
 Atque etiam doctis se poluisse libris:  
 Ni quoque, quid valeant humeri, quid ferre recusent,  
 Artibus, inquirat, qui vacat ingenuis.  
 Hocce TVO monstras exemplo, FAVOR AMANDE,  
 Hoc TVA nos praefens pagina docta docet,  
 Cum scandis Themidos diuinae pulpita sancta  
 Iuraque demonstras, PRAESIDE sub CELEBRI  
 Fauis euge! aubus, SCHROETERE, scande cathedram  
 Laude TVA Themidos fac resonare scholas.  
 Iple TIBI magnus iuris Dux, atque sacerdos  
 HELLFELDIUS, monstrat, magnus Apollo, viam.  
 Hos TIBI gratulatur laetos mea Musa triumphos,  
 Et factis soluit vota secunda TVIS.

Summos in vtroque Iure honores, eosque promeritos, TV-  
 BI gratulaturus, suiue memoriam commendaturus, scripsit.  
 IO. AVGVSTVS SAM. LVNGERSHAVSEN Vin. M. C.

CLARIS-




CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 DOMINO  
 DOCTOR ANDO  
 FACTORI ET AMICO INTER PAUCOS DILECTISSIMO  
 S. D. P.  
 IO. BERNH. FRID. HARTVNG  
 REVER. MINIST. VINAR. CANDIDI

Si vnaquam mihi occasio data fuerit TIBI significandi, quanti TE faciam  
 quantue TE aestimem, certe hodiernus est dies, quo in maximo erudito-  
 rum conflictu egregium eruditionis TVAE indefessio, quis est, qui nesciat?  
 studio TIBI adquisitae edis documentum. Qua de causa amicitia, quae  
 semper TECUM mihi intercessit et amore, quo me amplexus es sincerissimo  
 et adhuc, me absente, amplectaris, omnino indignus euaderet, nisi lae-  
 titiam meam, quae, quanta vix dici potest, de gradu Doctoris, quem hodie  
 rite accipis, exprimere vellem. O si modo TIBI cum omnibus iis,  
 qui actui huic solenni adsunt, vno quasi ore applaudere et, bene! bene!  
 adclamare possem! Verum pro dolor! ratio vitae meae praefens talis est,  
 qualis me impedit, quo minus istius quoque gaudii particeps fieri queam.  
 Quae cum ita sint, per litteras TIBI ex intimo animi adfectu gratulor  
 de hodierna TVA dignitate noua, quam TIBI laboribus ac iucubrationibus  
 academicis comparasti. Faxit Deus T. O. M. vt saluus et incolumis Ne-  
 storios per annos in vita conserueris, et omnia, quae in commodum rei-  
 publicae litterariae es suscepturus, prospere succedant et votis responde-  
 ant! Sed vt etiam in posterum amicitia TVA, qua, mihi crede, nihil an-  
 tiquius, mihiqve exoptatus, haud dedigneris, est quod vehementer rogo  
 atque obsecro. Vale, mihiqve faue. Dabam Sulzae mense Maio,  
 CIOIO CCLXXVIII.



Jena, Diss., 1778-84  
X 230 94 55





B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGURALIS.  
DE  
**ABLATIONE DEBITI  
VSVRARVM INITIVM  
NON VERO EARVM CVRSVM  
INCEPTVM IMPEDIENTE**

*1723*  
*1778, 2*

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO**  
**AROLO AVGVSTO**  
CE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGA-  
RIAE ET GVESTPHALIAE REL.  
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**IO. AVGVSTO HELLFELDIO**  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CONSILIARIO INTIMO REGIM. SAXO-VINAR. CVRIAE  
PROVINC. ASSESSORE NEC NON FACVLTAT. IVRID.  
ET SCABIN. ORDINARIO.  
O SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQVENDIS  
DIE XXX. MAI CIOCCCLXXVIII.  
ERVDTORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
D. CHRISTIAN. CONR. SCHROETER  
VINARIENSIS.

I E N A E  
LITTERIS STRAVSSIANIS.

